



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 1. An Deus subratione Deitatis sit obiectum principale fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

& in solutionibus argumentorum explicat sub hoc membro includere omnia obiecta creata, quæ secundario, & quasi consequenter dicitur pertinere ad fidem. Ego verò omnia illa, quæ creduntur ex testimonio diuino comprehendendo sub obiecto materiali fidei, vt in secunda sectione explicabo: & ideo aliter sumo illud tertium membrum; nam præter obiectum materiale, & formale requiritur ad credendum sufficiens propositio doctrinæ fidei, iuxta illud: *Quomodo audient sine prædicante?* nam quia nec DEVS testificans, nec res testificata videntur, ideo necesse est, vt per auditum sufficienter proponantur, nam ideo dicitur esse Fides ex auditu. Hæc ergo tria eodem ordine sunt à nobis explicanda, & incipimus à materiali obiecto tanquam à clariori. In quo vltius distingui potest subiectum ab obiecto: nam licet hi termini frequentius confundantur, & in bono sensu indifferenter illis vramur: nunc autem claritatis gratia illos distinguimus cum Durand. in 1. questione quinta Prologi, & in 3. distinctione vigesima quarta, questione prima. & Capreolo questione quarta Prologi, articulo secundo. Subiectum appellamus rem simplicem, seu incomplexam de qua aliquid creditur, quia est subiectum illius propositionis, quæ creditur, ipsa verò propositio complexa, & credita vocatur obiectum, quia est id, quod fides immediatè credit, & cui assentitur: vtrumque ergo sigillatim explicandum est.

SECTIO PRIMA.

*An DEVS sub ratione Deitatis sit
subiectum principale fidei?*

1. Assert. de
fide.

Ratio ratio.

2. Assert. cet.
tissima.

Ratio assert.

1. **O**missis opinionibus, quæ obiter postea attingentur, quia non sunt magni momenti, dicendum est primo DEVM esse subiectum fidei Christianæ: hoc est per se notum, & de fide certum: quia fides nostra ad DEVM tendit, & circa Deum versatur; & ideo vna est de virtutibus Theologicis. 1. ad Corin. 13. & ideo Marci vndecimo ait Christus: *Habete fidem DEI*, & Paul. 1. ad Thessal. 1. *Fides, quæ ad DEVM est*, &c. Vnde Cyrill. Hierosol. *Catech. 5. Illuminatorum. Fides inquit Deum speculatur, Deum intuetur.* Ratio verò est, quia de DEO multa credimus, scilicet, Esse, & esse vnum, & Trinum, &c. Ergo est subiectum fidei iuxta explicationem datam.

2. Secundò dicendum est Deum esse principale subiectum fidei, quod solet vocari subiectum attributionis alicuius virtutis, seu habitus: in hoc etiam conueniunt Theologi statim citandi; & est ferè æque certum. Primò ex modo loquendi Scripturæ ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: & subdit statim: *Quia accedentem ad Deum oportet credere, quia est*: proponit ergo Deum tanquam primum terminum in quem tendit Fides, & ideo ad Ephes. quarto dicitur: *Vnus Dominus, vna fides*, & ad Coloss. secundo. *In acquisitionem mysterij Dei, significans totam fidem tendere principaliter ad cognoscendum Deum*, quod etiam habet ad Coloss. tertio, & ad Philipp. primo, & ideo dicit Christus to. 14. *Credite in Deum, & in me credite*, quia illud est primum, hoc consequens: vnde August. 4. de ciuit. cap. 20. inquit: *Fidei vnum, & primum, ac maximum officium est, vt in vnum credatur Deum*, & libro 11. cap. 2. dicit finem totius fidei, & ipsius etiam Christi esse: *Et hæc est ratio assertionis, nam subiectum principale, seu attributionis est ad quod omnia referuntur, quæ sub aliqua virtute, seu habitu cadunt, sed omnia, quæ per fidem reue-*

lantur ed tendunt, vt melius cognoscatur; & honoretur Deus; ergo. Item in vita beata Deus est primum obiectum: ergo etiam in fide, quia visio fidei succedit, vnde Ioan. 17. ait Christus: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, quod tam de patria, quam de via Patres intelligunt. Tandem lumen fidei est quædam supernaturalis participatio diuini luminis, sed Deus ipse est primum obiectum diuini luminis per essentiam, & creati luminis gloriæ: ergo etiam luminis fidei. Quæri autem potest, an hoc sit ex intrinseca natura talis qualitatatis, vel ex ordinatione diuina, hoc tamen paulo inferius melius exponetur.

3. **C**ontra hanc vero assertionem sensit Durand. quæst. 5. Prolog. dicens actum meritorium esse principale obiectum Theologiæ, explicauerat autem per Theologiam intelligere fidem. Fundatur, quia omnia, quæ in Scriptura traduntur ordinantur ad meritum gloriæ in hac vita obtinendum; sed est improbabilis opinio, in qua ipse non pergit: nam in 3. distinct. 24. quæst. 1. num. 7. docet conclusionem nostram, & argumentum eius nullius est momenti, & probat contrarium, quia meritum ipsum ordinatur ad gloriam, & gloria creata ad Deum ipsum. Alia etiam de causa cauenda est hæc sententia Durandi, scilicet, quia asinitatem quandam habet cum sententia Chemnicij, & hæreticorum huius temporis, qui dicunt principale obiectum fidei esse promissionem Dei de nostra iustitia, & remissione peccatorum per Christum, qui maxime errant dum loquuntur de hac promissione, vt absoluta, & vniuersique credenti in particulari facta, quod falsum est, & hæreticum, vt docet Trid. & dixi latè in materia de Gratia lib. 8. à capite 15. Veruntamen etiam si sit sermo de promissione generali, & sub conditione debita, quæ re vera est vnum ex credendis, non potest tamen dici primum subiectum materiale: nam hæc ipsa promissio ad Deum ordinatur, & ita pertinet ad secundaria credibilia.

4. **S**ed obijci possunt quædam verba Concilii Trident. sess. 6. cap. 6. vbi explicans quid sit necessarium credere ad iustificationem ait, & *imprimè Deum per gratiam suam remittere peccata propter Christum*; ergo hoc ponit tanquam primum subiectum fidei iustificantis. Respondetur tamen facile prius præmittere Conc. illa verba, *Disponuntur autem ad iustitiam dum excitati diuina gratia fidem ex auditu concipientes libere mouentur in Deum credentes quæ reuelata sunt*: primum ergo motum ponit in Deum tanquam primum obiectum, in alijs autem subiunctis verbis declarat quomodo applicanda sit illa fides ad penitentiam concipienti cum debita fiducia, ad quod imprimis iuuat consideratio Dei per fidem vt remittentis peccata, in quo etiam non excluditur quin Deus ipse sit primum obiectum circa quod versatur illa fides, sed solum per illam creditur de Deo aliquod prædicatum secundarium, vt esse iustificatorem, quod in assertionem sequenti magis explicabitur.

5. **D**ico ergo tertio. Deus secundum absolutam rationem Deitatis, & essentia suæ est primum obiectum fidei. Hæc, vt existimo, est communis sententia Theologorum, D. Thomæ hic, & 1. p. q. 1. art. 7. & q. 14. de veritat. art. 8. & in 3. dist. 24. artic. 9. & idem tenet Scot. dist. 23. q. vnic. Durand. dist. 24. q. 1. Capreolus quæst. 4. Prolog. artic. 2. Alb. & alij in 3. distinct. 23. idem tenet Marfil. in 1. q. 1. vbi refert varias opiniones, tenet etiam Henric. Quodlib. 12. q. 1. Alex. Aleth. 3. p. q. 88. memb. 7. art. vlt. Vt autem explicetur & probetur, oportet distinguere duplicem rationem formalem, prout communiter tra datur in obiectis scientiarum, vel habituum: vna, est ratio formalis sub qua, & est illa, quæ mouet ad cognitionem obiecti, seu constituit illud in ratione cognoscibilis: alia est ratio, quæ primario intenditur,

Contra præ-
ximam as-
sert. sentit
Durand.
Eius funda-
mentum im-
probatur du-
pliciter.

Contra ean-
dem asser-
tionem ex
Trid.

Responsio.

3. Assert. com-
munis.

Ratio obie-
cti duplex,
sub qua, &
quæ.

Adversus prae-
sentem de po-
sitionem.

Probatur ex
Hebr. 11.

Probatur et-
iam ratione.

Contra hanc
asser-
tionem.
Argent. Ital.

Calvini re-
prehensio.

Verigere-
soluntur.

Speciatim
Calvini re-
darguitur.

Sub cognoscere in subiecto. Hic ergo non loquimur de ratione sub qua, nam illa pertinet ad disputationem sequentem, sed de ratione, qua principaliter intenditur per fidem, & hoc modo dicimus Deum ipsum quatenus Deus est, esse primum obiectum fidei. Quod videtur satis probari ex illis verbis Pauli, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*: nam quia esse Dei est eius substantia, & essentia, cognoscere Deum esse, idem est quod cognoscere Deum esse verum Deum, atque adeo habere veram diuinitatem: ergo hoc est primum obiectum quod fides intendit. Et ideo dicebat Christus Ioan. 14. *Credetis in Deum, & in me credere, quia illud primum est fundamentum reliquorum*: facit etiam illud Ioan. 13. *Hic est verus aternus, ut cognoscant e*: haec ergo absoluta cognitio Dei est intentio per fidem. Item illa est primum, & essentialiale obiectum beatitudinis nostrae, ac visionis Dei: ergo, & fidei: tum quia fidei succedit visio, ut dixi: tum etiam quia fides, & visio habent idem obiectum primum variata ratione clari, & obfcuri. Denique quidquid per fidem reuelatur ad hoc ordinatur, ut Deus secundum se, & secundum absolutam rationem suam perfectius cognoscatur, iuxta capacitatem praesentis status: ergo Deus secundum praedicam absolutam rationem Deitatis est fidei subiectum.

6. Contra hanc vero assertionem tenuerunt multi Theologi asserentes Deum sub ratione Saluatoris, aut glorificatoris esse subiectum fidei, quod sentit Greg. 4. Prolog. & Argent. Aegy. & alij ibi loquentes de subiecto Theologiz, ut in principio 1. parisiensis tractatur. Et fundantur, quia omnia, quae reuelantur per fidem ordinantur ad hominum salutem, & gloriam, iuxta illud Ioan. 20. *Hae scriptae sunt ut credatis, & credentes vitam habeatis in nomine eius*. Unde etiam Calvin. reprehendit Scholasticos, eo quod Deum ut Deum dicant esse primum subiectum fidei, & non etiam Deum, ut hominem, seu Christum, cum fides Christi potissimum postuletur in Euangelio, & salus nostra illi tribuatur. Sed haec sententia non habet solidum fundamentum. Oportet enim distinguere duos ordines praedicatorum, seu perfectionum, quae de Deo cognoscuntur, quaedam enim sunt omnino necessaria, & intrinseca Deo, ut esse vnum, aeternum, bonum, & alia sunt contingencia, seu libera, & aliquo modo extrinseca Deo, ut esse actum creatorem, iustificatorem &c. Quauis ergo fides Deum cognoscat ut subiectum, cui haec omnia continentur, quia omnia haec de illo credit, nihilominus certum est, praedicata primi ordinis esse priora, & primario intentia per fidem: nam omnia alia ordinantur ad manifestationem istorum attributorum Dei, creat enim Deus ut cognoscatur omnipotens, & sic de alijs. Igitur non potest esse Deus subiectum fidei sub ratione aliqua, vel denominatione extrinseca, seu contingente, quales sunt Saluatoris, vel Glorificatoris &c. Nec refert quod fides ordinetur ad nostram salutem, & gloriam, quia haec ipsa nostra salus, & gloria ordinatur ad gloriam ipsius Dei, & manifestationem naturae illius, sicut etiam charitas ordinatur ad nostram salutem, & nihilominus obiectum eius est Deus secundum se, & secundum absolutam bonitatem, quam in se habet, & hoc generaliter conuenit virtuti Theologiae, vnicuique secundum rationem suam. Reprehensio autem Calvini, aut vana est, aut mendax: si enim dicat Theologos omittere Christum omnino in assignando obiectum materiali fidei, falsissimum dicit, ut ex dicendis constabit: si vero reprehendit, quia non primo loco, sed in secundo illum ponunt loquuntur contra eundem Christum dicentem: *Credetis in Deum, & in me credere*, & alibi: *Hic est verus aternus, ut cognoscant e*, & quem misisti Iesum Christum: & idem ordo seruatur in symbolis fidei, nam prius docetur quae ad diuinitatem pertinent, deinde quae ad humanitatem, i-

deoque merito dicit D. Thom. 2. 2. q. 176. art. 6. in duobus principaliter consistere fidem, primo in Dei cognitione, & deinde in fide Incarnationis.

7. Sed quaeret aliquis: cum multa sine attributa diuina, quae necessario Deo conueniunt, an Deus subiiciatur fidei secundum aliquod determinatum attributum, vel secundum totam collectionem eorum? Et ratio dubitandi esse potest, quia D. Thom. hic articulo primo dixit, Deum sub ratione primae veritatis esse obiectum formale fidei, & videtur loqui non tantum de ratione formali sub qua, sed etiam de ratione, qua primario cognoscitur: esse autem primam veritatem est quoddam particulare attributum Dei. Respondeo Deum non esse obiectum fidei primum secundum aliquod speciale attributum, quod a nobis concipiatur per modum proprietatis, seu alicuius virtutis Dei, sed secundum absolutam rationem Deitatis, in qua confusa, seu quasi radicaliter nostro modo concipiendi omnia attributa includuntur. Ita sumitur ex citatis Auctoribus, & ex testimonijs Scripturae adductis: & ratio est, quia fides primario intendit cognitionem veri Dei per essentiam, essentia autem Dei includit essentialiter attributa omnia, & ideo fides per se primo non tendit in aliquod speciale attributum, sed in Deitatem ut sic. Quod si nostro modo concipiendi intelligatur substantia Dei sub absoluto conceptu essentiae, & alia attributa ut proprietates consequentes secundum rationem, sic Deus secundum rationem essentiae suae est primum obiectum, iuxta illud. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*: nam ut dixi ipsum esse Dei concipitur quasi prima essentia Dei, quia est ipsum esse per essentiam, iuxta illud: *Ego sum qui sum*. Neque repugnat dictum D. Thomae supra citatum, distinguenda est enim duplex veritas in Deo, scilicet in essendo, & in dicendo, de qua distinctione plura in disputatione sequenti. Prior veritas non est proprie speciale attributum Dei, sed est veritas transcendentalis, quae nihil addit naturae rei, & ita vera Deitas nihil aliud dicit quam Deitatem ipsam, & de hac veritate intelligendum est cum dicitur, Deus ut prima veritas esse primum obiectum materiale fidei, quod perinde est ac dicere Deum secundum veram Deitatem, atque adeo secundum essentiam suam esse tale obiectum. Altera autem veritas est speciale attributum, & pertinet primario ad obiectum formale, ut infra dicemus. quatenus vero est etiam res credita, non est proprie obiectum primum secundum rationem, sed post Deitatem, ut sic, quauis fortasse respectu aliorum attributorum habeat quandam prioritatem secundum rationem, ut statim attingam, & latius disputatione sequenti.

8. Quarto dicendum est inter obiecta materialia fidei, Deum esse maxime necessarium, & inseparabile a reuelatione fidei. Hoc potest dupliciter intelligi: vno modo de necessitate ad finem reuelantis, & ad cultum, & honorem eius, atque etiam ad salutem eorum, quibus fit reuelatio: & in hoc sensu est res clara, quia nisi Deus de se ipso loqueretur hominibus, nec posset ab eis digne coli, iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Neque etiam posset saluari, cum salus hominis in Deo posita sit, & sine fide Dei non possit homo placere Deo ad Hebr. 11. Alio modo intelligi potest assertio posita de necessitate intrinseca, & essentiali ipsius habitus fidei, & in hoc etiam sensu conclusio nem intelligo. Ratio autem est, quia nihil est credibile per fidem nisi sub testimonio Diuino, ut nunc suppono: quisquis ergo credit aliquid per fidem infusam, credit illud esse reuelatum a Deo, & testimonium Dei esse infallibile: ergo impossibile est credere aliquid fide diuina, quod non sit Deus, quia supponatur aliquid creditum de ipso Deo, quod ut minimum esse debet Deum esse, & esse

Dubium ex
D. Thomae
littera.

Resolutio.

Resolutio
ratio.

Sensio li-
tae D. Thomae.

4. Assertio
in duplici
sensu proce-
dens.

Elucidatio.

Discrimen fi-
dei humanæ
& diuinæ.

esse veracem in his, quæ testificatur: sic ergo Deus, ut obiectum materiale, seu cognitum, habet necessariam connexionem cum fide, quam non habent alia obiecta: nam posset Deus multa reuelare de se ipso, & nihil de creaturis. Et in hoc est notanda differentia inter fidem humanam, & diuinam; nam per fidem, per quam credimus alicui homini, non oportet credere aliquid de ipso met loquente: nam ipsum esse, & loqui non credimus, sed videmus, esse autem veracem, seu dignum fide, licet fortasse non videamus, tamen etiam id non credimus ex testimonio eius, sed aliunde supponimus cognitum saltem per coniecturas. In diuina autem fide non ita est, quia non potest Deus per hanc fidem aliquid nobis reuelare, quin aliquo modo reuelaret se ipsum, quia non videmus eum loquentem, aut existentem, sed credimus, nec per alias coniecturas, aut rationes solas credimus illum esse veracem, sed eadem fide dicente nobis, *Est autem Deus verax*. Dices: Est hoc verum sit in viatoribus, tamen in beatis videntibus Deum posset contingere, Deum illis testificare aliquid extra se, & à beatis non visum etiam in Verbo, & ita posset dari reuelatio fidei de re creata, & non de Deo, quia iam videtur, atque ita videtur sensisse Scot. in 3. dist. 30. Sed hoc attingit questionem, An in beatis possit esse fides? quam infra tractabo, nunc breuiter dico reuelationem illam si aliquo modo fundetur in visione Dei loquentis non pertinere ad fidem infusam, sed esse cognitionem, & lumen alterius rationis, & ideo nihil obstat conclusioni positæ.

Diluitur.

SECTIO II.

Utrum Deus sit adequatum subiectum materiale fidei, vel quod illud sit.

1. Assert.
contra qui
militat d. & b.
Paludani.

Illud dictum
videtur fidei
repugnans.

2. Assert.

Probat.

PRIMO certum esse debet non solum Deum, sed etiam res creatas esse subiectum materiale fidei, quia de creaturis multa per fidem creduntur. Vnde miror valde quomodo Palud. in 3. dist. 24. q. 1. concl. 2. dixerit, nullam esse propositionem creditam per fidem infusam, cuius subiectum sit creatura, quantumvis prædicatum sit non Deus. Ex qua positione aperte sequitur, contra nostram assertionem, nihil creatum esse subiectum fidei: nam, ut supra declaravi, illud dicitur subiectum fidei, de quo aliquid prædicatur, quod fide infusa creditur; si ergo propositiones de subiecto creato non creduntur fide infusa, nullum est subiectum creatum fidei. Verum tamen positio illa non solum probabilis, sed etiam fidei contraria aperte videtur, nam hæc propositio, *Abraham genuit Isaac*, fide infusa credenda est, cum sit expressa in Scriptura, & similiter hæc, *Beata Maria perpetuo fuit Virgo*, & similes in quibus subiecta creata sunt: non potest ergo dubitari de assertionem positæ.

2. Secundo ergo dicendum est, Deum non esse adequatum subiectum, & ut sic dicam, directum fidei, sed hoc esse quodlibet ens reuelabile à Deo obsecra reuelatione. Ita sumitur ex D. Tho. hic ar. 1. & dicta q. 14. de Verità ar. 8. docet Scot. in 3. dist. 23. q. vñica, ibi Gabr. & alij communiter partim ibi, partim dist. 14. & Anton. 3. p. tit. 8. cap. 4. & Abulen. in cap. 22. Marth. q. 301. Et probatur facile, quia imprimis ut aliquid comprehendatur sub obiecto fidei, necesse est ut de illo possit aliquid per fidem credi, quia illud solum continetur sub materia, seu subiecto habitus, circa quod potest habitus operari, non potest autem operari habitus, nisi circa subiectum reuelatum à Deo, ut constabit ex dicendis infra de ratione formali obiecti fidei: ergo ut aliquid contineatur sub obiecto fidei necesse est, ut sit à Deo reuelabile. Et ideo mendacium quatenus tale est non

potest esse obiectum fidei, quia non est à Deo reuelabile; dico autem, quatenus tale est, id est, quatenus continet falsitatem quali in actu exercito, ut sic dicam, nam si sumatur mendacium quatenus de illo aliquid vere affirmari potest, sic etiam potest inter subiecta fidei comprehendere, hæc enim propositio, *Mendacium est peccatum*, de fide est, sed hoc ipsum est reuelabile à Deo, hoc ergo imprimis necessarium est. Quod autem hoc sufficiat probatur contraria ratione: nam omnis materia, quæ informari potest à formali ratione obiectiua alicuius habitus, pertinet ad materiale obiectum eius, & sub adequato obiecto comprehenditur; sed quicquid potest reuelari à Deo, potest informari testimonio diuino, quod est obiectum formale fidei: ergo totum hoc comprehenditur sub adequato subiecto fidei: constat autem non solum Deum, sed etiam multas res creatas reuelari à Deo: ergo non solum Deus est adequatum obiectum directum fidei: ergo nullum aliud assignari potest nisi ens reuelabile, reuelatione utique obscura, & accommodata fidei: non enim potest alia ratio communis his omnibus subiectis assignari.

3. Dices: Fides non potest versari circa omne reuelabile: ergo non est illud adequatum obiectum, quia huiusmodi obiectum conuertitur cum habitu. Antecedens patet, quia fides non potest credere nisi quod reuelatum est, multa autem sunt reuelabilia, quæ non sunt reuelata: tum etiam, quia reuelabilia sunt infinita, fides autem non potest circa infinita versari. Respondetur aliud esse loqui de aptitudine, aliud de actu. Verum est, fidem non posse actum elicere, seu exercere nisi circa ea, quæ reuelata sunt, tamen ipsum lumen fidei de se aptum est ad assentiendum cuiusque reuelabili si de facto reueletur, & hoc modo dicimus, ens reuelabile esse adequatum obiectum, & loquimur magis de reuelabili, quam de reuelato, ne omnino excludere videamur ea, quæ reuelata non sunt, & ut naturam ac vim fidei magis explicemus. Atque eodem modo dicendum est, quod licet fides actu semper versetur circa finita, de se extendi potest ad infinita, sicut hæc gremotice, ut aiunt, quia hoc non excedit virtutem potentie, aut habitus finiti, ut bene Scot. supra, & D. Tho. d. ar. 8. de Verità ad ult.

4. Vltius vero obijci potest, quia non omnia, quæ reuelantur per fidem sunt æque credibilia: ergo non omnia directe continentur sub adequato obiecto materiali fidei. Antecedens patet, quia non omnia sunt æque vera: nam diuina veriora sunt, quam creata, cum sint magis necessaria, & magis entia. Confirmatur primo, quia respectu charitatis, Deus, & creatura non æque comprehenduntur sub obiecto eius: ergo nec respectu fidei. Denique D. Tho. supra dicit per accidens pertinere ad fidem omnia, quæ sunt extra Deum: ergo signum est non pertinere ad directum obiectum eius, sicut quod tantum est per accidens visibile non est directum obiectum visus. Ad argumentum respondetur negando assumptum. Imo inde confirmatur assertio, quia veritates fidei de subiecto creato non minus certæ sunt, quam de subiecto increato, tam certæ enim est, hæc propositio, *B. Virgo est mater Dei*, sicut hæc: *Deus est Trinus*, & *Vnus*: quia vtraque æque participat rationem formalem fidei, quæ est dici à Deo, & Deus æque verax, & infallibilis est in minimis, sicut in magnis, totam enim suam veritatem, & auctoritatem amitteret, si vel in re minima falsum dicere posset, & ideo non minus est hæreticus, & amittit totam fidem, qui vnam ex illis veritatibus negat, quam qui aliam. Falsum est ergo illud antecedens: probatio autem eius laborat in æquiuoco, aliud est enim loqui de veritate rei secundum se, & cognitione eius per intrinseca principia, aliud vero de veritate in esse credibilis, quæ in testimonio extrin-

Obiect. 2.

Solutio.

Obiect. 2.

Confirm. 1.

Confirm. 2.

Respon. ad obiect.